tanta nouarum generoſitate virtutum
noſtram gentem inſigniri perdoluit. Et ut
tunc fama vulgauerat. latenter voluit
per abdita heremi ſuperuenire et preciosi
theſaurum corporis ſi quo pacto potuiſſet
auferre. Qua malicioſi raptoris inten-
tione comperta. hii qui in circuitu celle
viri dei commanebant. cuſtodibus viciſſim
per turmas deputatis. eundem locum
ab hoſtili incurſione. ne videlicet tam
cari fulgore margariti carerent. omni
ſagacitate defenſare ſtudebant. Igitur
cum quadam nocte cuſtodes in ſummitate
montis qui monaſterio ſuperimminet ad
ſuſpectos incurſus armati reſiderent.
precauendos. caſu lucem e celo venire
ac totius eccleſie perfundere menia con-
ſpexerunt. Immenſitate itaque luminis
admirati. ad eccleſiam cicius concurrerunt.
Et dum trepidi ſtupentesque ibidem conſtitu-
ti eundem intuerentur ſplendorem. paul-
atim ſe lux ſubmiſſa recolligens. aſtris
inſeruit. At illi viſo miraculo agentes
domino gratias. ſecuri ad propria remearunt.
credentes corpus viri dei prorſum ab eo
loco minime auferri poſſe. quem illi
dominus ante ſecula preuidit. et ſue illuſtracionis
honore temporibus illis decorauit. Unde datur
intelligi. quanti apud deum meriti vir
iſte fuit cuius ſepulture locum celitus
contigit illuſtrari. ut videlicet lumen
quo eius anima perfecte fruebatur intellectualiter. etiam
mortuo corpori non deeſſe in terris.
Audiens itaque comes predictus a cella
ſancti viri diſceſſiſſe cuſtodes. cupi-
ens ſuos conatus explere. virorum
turbam aſſumpſit. ut quod male cogitauerat.
repentino et latenti perpetraret acceſſu.
Verum quia non ſue deuocionis vtilitati
proſpiciens. ſed aliene felicitatis proſpe-
ritatibus inuidens id moliebatur. dei nutu
cito repreſſus fuiſſe cognoſcitur. Nam eodem
momento quo iter illud aggreſſus eſt.
de equo cui inſedebat corruit. coxaque
illius eo caſu confracta eſt. domino beati viri
merita in hoc quoque remunerante.
ne a loco quem ipſe elegerat auferretur.
quem de vltimis hibernie finibus ad ſa-
lutem multorum recie vel germanie

deſtinauit. Et vicini quidem exhibuerunt
excubando ſue deuocionis obſequia.
Deus vero auctorum cuſtos bonorum ibi eciam
ad coercendum raptorem vigilauit. Ubi
ſollicitudo alternancium non affuit populorum.
Et hoc quidem egit ut credimus. ne fideles
populi theſauro quem feruentibus ſtudiis
ambiebant fraudarentur. et ne is qui per mali-
ciam hoc decus attingere voluit. ſue
peruerſitatis potiretur effectu. Precipueque
precauens. ne ablatis ſancti viri reliquiis
monachorum cateruas que inibi laudibus
dei ſeruiture erant deeſſe contingeret.
Itaque comes correptus. et domum a fam-
ulis reportatus. per multa tempora nimiis
doloribus eſt agitatus. ut intelligeret
ſaltim ex pena. quam ſuperbe id cogitauerit.
quod ſuis viribus effici potuiſſe credebat.
12 Quia igitur domino cuſtodiente pii pa-
ſtoris corpus. a deuotarum ſeptis
ouium auferri non potuit. dignum fuit
ut miraculis fidem facientibus. virtus
meritorum eius ibidem cunctis manifeſte
clareſceret. Quidam namque de vicino
territorio. cum diuturna egrotacione
vexatus lecto decumberet. ſubrepente
humore nociuo. oculorum lumen auri-
umque ſenſum amiſit. Deinde plantis
pedum retortis ad nates. tanta depreſſus
eſt infirmitate. ut de ſolo pectuſculo
vite manarent fugacis indicia. Qui
a ſuis ad monaſterium vehiculo delatus. du-
petentibus amicis in eccleſia beati galli
vnius ſpacium noctis ducere permiſſus
a cuſtode fuiſſet. ſolusque ibidem pernocta-
ret. circa gallorum cantum in ſubito
mentis exceſſu quatuor viros candidiſſi-
mis indutos veſtibus oratorium intrare
conſpexit. Qui dum altari appropiantes.
diutiſſime dulci modulamine alter-
natione concinerent. vnus eorum laudibus
finitis. ad lecticam in qua clinicus decu-
mbebat accedens. quid inquit cauſe eſt
o homo quod hic per noctem tenebrarum triſtis
ſolus horrore. Crede tantum et ab hac
infirmitate deinceps eris ſecurus.
Qui protinus ſurgens. et omni debilitate
ſummota egreſſus ad ſuos. ſanus abſceſſit.
14 Igitur othmarus abbas cum multis annis
idem cenobium ſtrenue rexiſſet. poſſe-

Credi illud, fabuloſum eſt.

No. di Otomaro.

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 14r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/it/vad/0070/14r)